

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Anima t
cum fonte primo

Tria ista anima curiosa Dei non cessat inquirere,
scilicet iusticiam et iudicium
et locum habitationis glorie sponsi,
tanquam uiam in qua ambulet,
cautelam qua ambulet,
et mansionem ad quam ambulet,

ut de forma iusticie sit formosa,
de iudiciorum noticia cauta,
de desiderio presencie seu glorie sponsi casta.
Talem prorsus decet sponsam
pulchram, eruditam et castam.

Perfectus est
in cuius anima hec tria congruent,
atque opportune concurrere uidebuntur
ut gemere pro se et exultare in Deo nouerit
simul proximorum utilitatibus potens sit
subuenire: placens Deo, cautus sibi, utilis suis.

Bernardus super Cantica.

Ergo
tria ista anima curiosa Dei non cessat inquirere,
iustitiam, et iudicium,
et locum habitationis glorie sponsi,
tamquam uiam in qua ambulet,
cautelam qua ambulet,
et ad quam ambulet mansionem.
De qua mansionem sic habes in Propheta:
UNAM PETII A DOMINO, inquit, HANC REQUIRAM,
UT INHABITEM IN DOMO DOMINI; et iterum:
DOMINE, DILEXI DECOREM DOMUS TUAE ET LOCUM
HABITATIONIS GLORIAE TUAE. Porro de reliquis
duobus: IUSTITIA ET IUDICIUM, ait, PRAEPARATIO
SEDIS TUAE. Merito tria ista mens deuota inquit,
utpote sedem Dei, et sedis praeparationem.
Et pulchre in sponsae praerogativam concurrunt
pariter omnia ad consummationem virtutum,
ut de forma iustitiae sit formosa,
de iudiciorum noticia cauta,
de desiderio praesentiae seu glorie sponsi casta.
Talem prorsus decet esse sponsam Domini,
pulchram, eruditam, et castam.

Bernardus Claraeuallensis, *Sermones super
Cantica canticorum*, 33.1.1 (SBO 1, J. Leclercq,
C.H. Talbot, H.M. Rochais eds., pp.233-4, ll.23, 1-
11).

Perfectus omnis reputabitur,
in cuius anima tria haec congruenter
atque opportune concurrere uidebuntur,
ut et gemere pro se, et exultare in Deo nouerit,
simul et proximorum utilitatibus potens sit
subuenire: placens Deo, cautus sibi, utilis suis.

Bernardus Claraeuallensis, *Sermones super
Cantica canticorum*, 57.11 (SBO 2, J. Leclercq,
C.H. Talbot, H.M. Rochais eds., pp.125-6, ll.33-
34, 1-2).